

M V S A S  
AMBIGVO CERTAMINE  
IAM CONTENDENTES

SIVE  
DETRIMENTA QVAEDAM ET INCREMENTA  
LITTERARVM HODIERNA

TRACTATIONE PRIMA  
PROPONIT

ET  
ILL. RVTHEN. COLLEGII  
NOMINE

CVRATORES PATRONOS  
FAVTORES AMICOS

VT  
EXAMINANDIS

HOC VERNO TEMPORE

STVDIOSAE IYVENTVTIS

PROFECTIBVS ADSINT

INVITAT

IO. GOTTFR. HAVPTMANN.

DES. ERASMVS in *dedic. T. III. opp. HIERON.:*

*Parum absuit, quin denuo victrix barbaries obruerit omnia recta studia, quibus nulli maiori detrimento sunt, quam hi, qui haec impure colunt. Exoriri videas passim tenebriones quosdam, qui simul atque didicerunt decem verba Latina, Graeca duo, paradoxa sex, scribunt procaces libellos, miroque supercilio fastidiunt tot saeculorum vnanimi sententia consecratos autores: haud dum scio, maiore ingratitude, an impietate.*



GERAE, EX OFFICINA SCHRADERIANA.

Hist. liter.

188,38



\* \* \*      \* \* \*      \* \* \*

**Q**uamcumque Musarum nominis deriuationem contem-  
 plumur; siue referamus ad מוֹסֵר; siue, cum PLATONE  
 PHORNTIQUE, τὸ μάεσθαι, vel μῶεσθαι, vocemus in  
 subsidium, vnde simul Latinorum *amare* componi vide-  
 tur; siue, cum EVSEBIO, μῦεῖν; siue, cum IVL. CAES. SCALI-  
 GERO, μαῖωσθαι: nomen illud haud, ab istis profanis numinibus,  
 ad artes liberales transiisse, sed ea potius, a studiis, fictionem et ori-  
 ginem obtinuisse, patebit. Hinc omnis eodem nomine doctrina  
 continetur, quod optime CICERO a), per *humanitatem et litteras*,  
 interpretatur. Hinc et indoctos, ἀμούσους inde vocatos, a Musis  
 et Gratiis abesse b), prouerbio dicitur Graecorum. Non igitur  
 erit, qui nos reprehendat, Christianorum sacris addictos, quasi,  
 profanorum hominum in castra, transfugiamus impii, Musas velut  
 in campum educendo. Speciosior erit illorum obiectatio, qui  
 mirantur, pacificas, expertes inuidientiae, quietis otiique studiosas,  
 et omnis humanitatis adiutrices, hoc loco, fisti pugnantes. Nemo  
 pictorum, aut fictorum, armatas exhibuit Musas, quibuscum dele-  
 ctare se potius solent, quicumque commercium habent. Prodeat,  
 grauis ille reprehensor, AELIANVS c), qui sapientiam artificum  
 indidem admiratur, et hoc idem concludit. At tamen, oppor-  
 tunus simul adest PAVSANIAS d), certamina referens Musarum  
 ac Sirenum; quas quidem illae vicerint, et, ex earum euulsis pinnis,  
 iunxerint sibi coronas. Vt verum fateamur, idem PAVSANIAE  
 locus occasionem nobis praebuit argumenti, quod potius indica-  
 mus, quam persequimur: haud sine iustissimis votis, vt eadem, ad-  
 uersus noua nostri temporis monstra, felicitate fruatur eruditio,  
 qua Musas olim bearunt artifices fabularum. Praeterea, neque  
 defunt omnino, qui θησιομαχοῦντας artium doctores proponant,  
 aut litterariam militiam, veris ac viuidis coloribus, depingant. Ita  
 vero, quamuis certamen ac luctationem dicere maluerimus; cum  
 talibus

a) *Tusc. qu. V, 23, 66.*

b) *CIC. pro Arch. 9, 20. QVINCTIL. I, 10. p. 70. ed. Capper. GELL. VIII, 3, 2. 10, 1.*

c) *V. H. XIII, 37.*

d) *in Boeoticis siue L. VIII. c. 34. p. 778. ed. Kühn,*



talibus, quoque praelium possemus. Profecto, tot vlulae cyncis certant, tot vitia Camenis; vt hostilibus exercitibus comparare liceat. Impietas, imprudentia, barbaria, superbia, mollities, voluptas, auaritia, discordia, faeuitia, πολυπραγμοσύνη, quo reliquas fileamus, agmine veluti facto, nouis armis instructae, peregrinisque, vel omnino familiaribus, vestibus indutae, procedunt in aciem, deque contrariis pugnant partibus. Impietatem hic forsitan expectauerit nemo; quippe cui, cum religione virtuteque, satis sit negotii. Nihilo minus, vt olim nocuit superstitio; sic ista nunc adest, audacia nitens feritateque, terrae filiis, olim quaelibet temere miscntibus, dignissima. Scilicet, non potest non auxilia simul petere, qui quem hostis persequitur: et quo magis inualefcit impetus; eo magis illa quoque premuntur. Aeterna contemnitur salus, prae vanitatis huius opprimentibus curis: quaeque maiorem ad fidei firmitatem conducunt, intellectu facillimum erit, qua re pariter negligantur. Vix igitur futurus oraculorum diuinorum interpres, interprete remoto, prouidentissimi NUMINIS voluntatem, explorare laborat; ne dum alia subsellia doctorum occupaturus. Sic autem fundamenta desunt firmiora, ceteris quoque disciplinis: quoniam, quod est ingenij tardioris e), aqua de riuulis hauritur, nec ad fontes se confert diligentia vigilans; indicio manifesto, quamlibet culpam, a poena comite, premi; si vel maiora, quae subinde mentem adfligunt, mala, ne quidem nominaremus. Non cogimus haud idoneos, et vix infima forsitan in foro spatia, vel ceretanorum sortem, merituos. De dignis doctrinae candidatis, qui possent, modo vellent, loquimur. Iis nec deerit tempus, quin abundabit, in scholis legitime, sub idoneis magistris, collocatum: praecipue, cum haud solum sit initium sapientiae, timor DOMINI; sed illius vtramque paginam faciat. Turbatur, plura neetere volentes. Etenim imprudentia, praecipiti cursu, volat potius, quam incedit, et, equitum more, clausis oculis pugnantium, vibrat tela. Magnam ea secum trahit, parentum, doctorum, adolescentum ac puerorum, copiam. Adsunt praecipue, qui, cunis adhuc inuolutos, eruditae societati destinant filios; quique, quo sunt stupidiores, ac ridiculi magis, putant, tractandis literis,

A 2

e) CIC. de orat. II, 27, 117.



teris, accommodatiores. Patere fatemur ostia Musarum, honesto cuius: sed honesto; nec minus sic, ut, optione data, quod sanae mentis est, meliora praeferantur deterioribus. Olim igitur, cum esset ingeniorum delectus, omnia se melius habebant, quo liberales sunt artes, eo magis vilescunt, abusu, quotidiana. Facit eodem barbaries, quae, pallio philosophico tecta, perquam grauius aduenit. Haec nouas iactat veritates, antiquas infuscat, scirpi conquirunt nodos, et maximas, magno conatu, nugae agit. Intactum relinquitur nihil, quo scholasticam aetatis mediae Latinitatem, spissa de titiuitio volumina, falsas distinctionum subtilitates, artium reliquarum omnium corruptionem, istius adseclae reducant. Alteram solum Petri partem celebrant: Mnemosynem, Musarum parentem, una cum filiabus, e terminis suis, eiiciunt *f*). Ac si, rerum ignarus omnium, haud aequae sit ab eruditione remotus, quam vir beatae memoriae, qui iudicium expectat. Inde tam multae doctrinae, vel, antiquorum e capsis, surreptae deprauataeque; vel, ad confundendas mentes, quam illustrandas, aptiores. Quid vero tandem? scilicet barbarum chaos, et, nouum lumen desiderans, umbris volitantibus, caligo. Volitabit inter eas ipsa meditatio, tanto conatu, lectionem excludens; quasi non latius in gigantis humeris circumspicere queat nanus, nosque deserere uehicula debeamus, ac viae duces, ut, forsitan multiplici labore, minimam eius itineris partem emetiamur soli, quam simplici possedemus, praesidiis talibus adiuti; vel quasi, relicta nobis haereditatibus, abiicienda forent, quo, solum a nobis comparata, possideremus. At, dum graues barbariae gressus miramur, habebimus potius, cur miremur, ipsam superbiam, Hispaniae iam non solius magistram, conspiciat. Splendent arma, gladius micat; quin fulmina vibrantur, ipsi caelestium regi, velut e manibus, extorta. Non paucas personas principes, neque nullos pietatis ac litterarum antistites, plurimos autem diuitiis abundantes, in huius comitatu, videmus. Augusti passim, ac Maecenates, haud desunt modo, sed obsunt: quid mirum, si frustra Marones quaerantur? Illi conculcant et subruunt fundamenta, quorum oraculis adnumerantur  
verba,

*f*) PLVT. παιδ. αἰγ. c. 13. §. 14. p. 112. ed. Heuf. GEOFR. LINOGERII  
mythol. Musar. c. 1.



verba, quorum in exempla cedunt actiones: quid mirum, si, cum principii eruditionis, omnis facile doctrina sternatur? Singulatim, opulentia virtutem post numos ponit, ac turgens, quod ignorat, contemnit. Atrocissime, vel indidem, oppugnantur, in seruitutem fere delabentes, et adnumeratae mancipiis, artes liberales. Lento sequitur gradu mollities, discincta trahens vestes fluitantes, et vix mouens manus somniculosa: potissimum autem, venenatis ac pestiferis sagittis, vulnerans, eoque molestiorem crucem figens, assidua vigilantia nixis, constantique labore gaudentibus. Comitatur istam licentia, nec, ut seuera lege proficiant liberi, siue maturescant, permittit. Cum vero, nisi militantem, industrium, vincentem, Musae possint coronare neminem: tot ita de Parnasso detentis, in solitudinem denique conuertitur sapientiae delubrum. Ipsos doctores saeculi genius deducit. Non vnum hodie Palae-monem g), sed plurimos inueniemus, canoras nugas, magno pretio, vendentes, vel sero nimis poenitentibus, vel eodem animatis spiritu. Propemodum absunt, Beneuentano grammatico similes, plagosi: verum, in contrarias ruunt partes, leuiori studia brachio tractantes. Id enim opus est, vel inscitiae, vel ignauiae, vel adsentationi talium virorum, ne quis quidquam ediscat. Itaque, suo se iure iungit festinatio, qua studia cruda propelluntur in academias, ac deinde forsitan crudiora referuntur domum; sic, ut repuerascant viri, cum inter viros relati fuerint pueri. Non id solum in gymnasiis opinamur, commodorum forte nostrorum studiosi. Sunt, in ipsis academiis, nec pauci sunt, ita sentientes. In vicina nuper ideo singularem commentationem edidit NIC. DAV. BRIEGLEB, *de litterarum elegantiorum aetate nostra contemptu, et orto inde exiguo vere eruditorum numero.* Cui quidem argumento summi quoque viri suffragantur: nec vlli, nisi forsitan apertam inscitiam, animique commotionem intempestiuam, prae se laturo, contradicunt. Adhaec, tales vulgo sunt, qui vitio laborant inconstantiae, multa molientes, pauca suscipientes, absoluentes paucissima. Leuissima quaelibet causa, vel omnino nefanda simulatio, studia litterarum interrumpit: idque fit a teneris vnguiculis, ut tanto magis rerum discendarum neglectus, quasi naturalis fiat.

A 3

Deest

g) SVETON. *de ill. gramm.* c. 23.



Deest ergo cupiditas, deest rerum tractandarum nexus: nascitur autem, vel ignorantia; vel, eadem deterior, confusio. Filia molitiae voluptas est, pictis vestibus induta, comta, coronataque, non tamquam ad pugnam, sed ad epulas ac delicias, iret; nihilo minus vel Samsones superans. Dum enim adlicit, illudit: dum sinum pandit, prosternit: dum cibos proponit, miscet venena. Non hic pueri solum et adolescentes, verum ipsi viri, quae placent modo, caecati vident; quae nocent, in occulto manere malunt. Hic Scylla Veneris, Charybdis Bacchi, soporis torpidi Sirenes. Profecto, si quando perripit Alpes, et Germaniam nostram infecit, eius modi luxus, quo genius, alter sexus, gula, profusio, cum satellitibus suis, et diligentiam reiiciunt, et omnes virtutes excludunt, sceleribus autem atque noxis aperiunt valuas, id praesente factum est aetate. Conventus musicos adamant, a Musis alieni: vigilant, sed ut noctu grassentur, ut perpotent, ut magis nefanda peragant, ut stertant deinceps, ad meridiem. Accedit creberrimus usus pulueris sternutamenta concitantis, herbaeque Tabaci, vel Nicotianae, quo non vegeti fiunt adolescentiae spiritus, aut corroborantur vires, sed opprimuntur et exsiccantur. Parcimus iam reliquis aduersariis; quibus et praesidia quaedam, in posterum, opponemus; hinc, ipsum certamen videbimus; ac tandem, generalem illam tractationem accommodabimus, ad illustre Rutheneum. Interim, hoc pariter tempore, nostrum erit eo maioris facere palaestram, ubi patriae spes armatur et exercetur, ad hostibus, qualium fecimus mentionem, pro virili, resistendum. Quantum huc vsque proficere potuerint, et docentes et discentes, **SVMME VENERABILIBVS CVRATORIBVS**, quos laetissimo cultu semper excipimus, ceterisque **BENIGNIS AUDITORIBVS**, quorum ampliorrem frequentiam, non tam nos desideramus, quam officium cuiusuis ac res ipsa deposcit, cras et sequentibus diebus, ostendere laborabunt. P. P. Gerae d. XVIII. Mart.

A. C. D. c15 15CC LIII.

ILL.



ILL. RVTH. DOCTORVM ET MAGISTRORVM  
OCCVPATIONES, PROXIME, PER VER ET AESTATEM,  
BONO CVM DEO, DISCIPVLORVM VTILITATIBVS  
DESTINANDAE.

PROFESSOR THEOLOGVS.

In recitationibus suis, quibus RECHENBERGII compendium historiae sacrae explicat, historiam saeculi XVI. continuabit.

PROFESSOR IVRIS.

Per hoc semestre VI. Titulos e Libro I. Institutionum Iuris Ciu-  
lis, et IX. Titulos e Libro II. interpretatus est.

DIRECTOR.

In recitationibus, loco professoris doctrinae naturalis habendis,  
hebdomadis sexta die, statim a meridie, ἀνθρωπολογίαν absoluet.

In suis publicis, hebdomadis cuiuslibet primo die, post  
sollemnem cultum peractum, quoties ipsum ordo tangit,  
sacras orationes repetet, ac diuini codicis pensa, collatis ipsis  
Ebraeis Graecisque verbis, vberius illustrabit, coram tribus qui-  
dem ordinibus. Altero die, coram vtroque superiorum, hora  
sexta matutina, cantilenas Dauidis, potissimum Ebraeas, continua-  
bit, pias inter preces, et *Hutteri* subiunget compendium; ordiens  
a loco de mysteriis, quae sacramenta vocant, generatim confide-  
randis. Post meridiem, hora secunda, selectas *Horatianas* odas,  
ad ordinem fasciculi sui, primoribus interpretabitur. Die tertio,  
mane, post cantilenas sacras, et ante pias preces, caput aliquod  
N. T. Graeci passim explicabit, iterumque precibus subiunget  
*Hutterum*; hora vero septima, singulatim ordini primo, *Freyeria-  
num* ad ductum, historiam vniuersam explicabit, a Christianis im-  
peratoribus incipiens. Diei quarti nona hora, sequentisque sexta,  
post cantilenam sacram, N. T. Graeci caput, ac pias preces, in *Er-  
nesti* dialectica, coram vtraque classe, perget; vt et in *Tiberio Sue-  
tonii*, post meridiem, hora secunda. Octaua matutina sexti diei,  
sacram orationem repetet, cantilenam aliquam Dauidis breuiter  
explicabit, et preces fundet, cum vtraque classe: postea suae, con-  
sueti modo, pensum aliquod, adplicatae suae de stilo doctrinae,  
vel vertendum, vel simul amplificandum, dictabit, et, ad decimam  
vsque, quod antecessit proxime, corriget. Ante meridiem vltimi  
diei,



dici, hora nona, suam itidem institutionem Ebraeam, ambobus ordinibus, impertietur.

lisdem, SUPERIORVM nutu consensuque, diei secundi post meridiem, hora tertia, locos *Hutterianos* distinctius explanabit, ac supplebit; eadem diei quinti, sermonis Ebraeorum amatoribus, inseruire laborabit, reliquorum autem gratia, proximi diei decimam horam antemeridianam, inculcandae mathesi dabit.

In ordinario classis primae collegio, diebus hebdomadis quarto penultimoque, hora sexta, ceteris profestis, nona matutina, frequentando, proponet, ad ordinem dierum, ternis prioribus, *Horatianum* de arte libellum, et institutionem suam poeticam, reliquis officiorum *Tullii* tertium librum, *ὁδογυγὰς*, et exercitationem aliquam stili, non sine repetitionibus ac disputationibus.

Tandem, e publico promisso, desiderantibus, priuatas scholas aperiet, ante meridiem, hora decima diei secundi, tertii, quinti, postremi vero quarta, quinta, sexta pomeridiana; quarum duabus primis, grammaticam Germanicam *Gottschedianam* suamque, sequentibus antiquitates sacras Ebraeorum, Graecorum, Latinorum et Germanorum, explicabit; quinta *Iulium Caesarem*, cursim interpretabitur; vltimam vero, nouis, quae publice feruntur, ciuilibus ac litterariis, sic impendet, vt historiarum quaelibet partes aeque repetantur, variique generis conscriptiones, non sine iudiciis interpositis, ostendantur auditoribus. Nec alibi frustra quaeri patietur operam suam.

**P**ROFESSOR ELOQVENTIAE. P.  
Per instans semestre spatium, diuino fretus beneficio, in obeundis officii sui muneribus, publice priuatimque, quatenus quidem operae priuatae praeuideri iam possunt, ita versabitur:

DIE LVNAE ante meridiem:

ab hora VII - VIII. alterius ordinis exercitia stili Latini emendabit publice: VIII - IX. utriusque classis superiori noui foederis tabulas, orsus a c. III. ep. ad Hebraeos, stataria lectione, interpretabitur ita, vt ad philologicas grammaticasque rationes eas exigat: IX - X. priuatim suae classis ciuibus *Ouidii* libros *Tristium*: X - XI. priuatissime *Baumeisteri* elementa philosophiae recentioris, facto initio ab ea dialectices parte, quae proprie in vsu et actione posita est, explicabit.

post



*post meridiem:*

ad horam II. post lectionem librorum sacrorum, quam cursoriam vocant, Curtium, a c. 14. L. VIII. *utriusque classis* publice: II-IV. priuatissime orationes aliquot Ciceronis edisseret, vt auctoritatem nanciscantur, quas adhuc tradidit, primae rhetorices lineae.

DIE MARTIS *ante meridiem:*

ab hora VII-VIII. menda tollet ex stili Latini exercitiis, quae *secunda classis* exhibet: VIII-IX. Cel. Maii de oratore libellum *utriusque ordinis* ciuibus: IX-X. priuatim *suis* Plinii panegyricum: X-XI. priuatissime Baumeisteri V. C. elementa philosophiae recentioris illustrabit.

*post meridiem:*

ad horam II. post libros sacros cursorie, vt aiunt, lectos, et ad augendas virtutis piaeque eruditionis opes collatos, Plauti captiuos ab Aet. IV. scena I. *utriusque ordini* enodabit: ab hora II-IV. priuatissime Liuii lectionem cum loquendi scribendique exercitatione coniunget.

DIE MERCVRII *ante meridiem:*

ab hora VI-VII. priuatim *suis* terrarum orbis, Germaniae potissimum, descriptionem: ad horam II-IX. omnibus, qui *utriusque classis* disciplina continentur, Latini carminis argumentum, IX-X. priuatissime initia linguae Ebraicae, Danzium sequutus, tradet: X-XI. Virgilio Aeneidem priuatissime perleget.

*post meridiem:*

ab hora I-III. priuatissime historiam antiquam Romanam ex Eutropio: V-VI. priuatim res gestas Imperatorum Germanicorum: VI-VII. oratione Lycurgi ad finem perducta, Chrestomathiam Graecam Cel. Gesneri, si eius quidem possit copia haberi, *utriusque classis* alumnis, exponet.

DIE IOVIS *ante meridiem:*

ab hora VII-VIII. Plutarchum *περὶ παιδων ἀγωγῆς* a c. XIII. *utriusque classis*: VIII-IX. priuatissime Quintilianum: IX-X. priuatim *suis* epistolas Ciceronis ad diuersos: X-XI, Baumeisteri elementa priuatissime interpretabitur.

*post meridiem:*

ad horam II. *utriusque classis* orationes Ciceronis, et quidem absoluta ea, quae pro Milone est, primam in Catilinam: II-IV. priuatissime, perlustratis studiose, quae Xenophon scripta reliquit, ἀπομνημονεύμασι Σωκράτους, Aiacem Sophoclis explicabit.

B

die



DIE VENERIS *ante meridiem*:

ab hora VI-VII. pertractatis, qui de Senectute et somnio Scipionis sunt, Ciceronis libellis, Laelium eiusdem cum *suis* priuatim perleget, et imitando exprimet: ab IX-X. iisdem stili latini meditationem suppeditabit, ita quidem, vt, quae in conscribendis epistolis maxime videnda sint, vna discant, deinde Graeca exercitia eorundem emendabit: X-XII. Luciani dialogos electos priuatissime perlustrabit.

*post meridiem*:

ad horam II. quoties doctori physico impendenda est opera vicaria, Sermones Horatii *primae classis* praeleget: II-III. *utriusque* *alumnis* orationes Ciceronis: III-IV. Heumanni Viri Cel. conspectum rei publicae litterariae priuatissime illustrabit.

DIE SATVRNI *ante meridiem*:

ab hora VI-VII. missis rite ad Deum precibus, lectisque libris sacris, exercitii graeci materiam proponet: VII-VIII. absolutis nuper duabus odis Pindaricis, Rhapsodiam  $\eta$  ex Iliade Homeri *utriusque ordini*: IX-X. priuatim *suis* Terentii Heautontimorumenum explicabit: X-XI. elementa Hebraicae linguae priuatissime tradet.

*post meridiem*:

ab hora I-III. vt supra die Mercurii: III-V. priuatissime doctrinam sanctiorem, ex tabulis synopticis, quas CL. Lüdeke in Baumgartenii, illustris theologi, theses confecit, explicabit.

Quae omnia vt in gloriam DEI immortalis suaeque fidei commendatorum salutem cedant, numen illius supplex veneratur!

ILLVSTRIS RVTHENEI CONRECTOR.

Futuro semestri, DEO iuuante, *publice*, Die Lunae, hora VI. matutina, sanctioris doctrinae initia, praeunte *Ruckdeschelio*, proponet ordinis tertii ciuibus; VIII. iisdem vna cum quartae classis alumnis explicabit Grammaticam Lat. Post meridiem hora II. secundae curiae adscriptis Ciceronis, quas ad diuersos misit, epistolas enucleaturus.

Die Martis, hora ante meridiem VI. tertiae quartaeque classis auditoribus Grammaticam Lat. exponens, VIII. Theologiae fundamenta instillabit prioribus. Post meridiem hora I. vtrisque Grammaticam iterum explicaturus, Corn. Nep. illustrabit hora II. secundae classis ciuibus.

Die



Die Mercurii, hora ante meridiem IX. stili latini exercitationem in calamum dictabit ordinis tertii discipulis, versuum Latinorum argumentum adiungens.

Die Iouis, hora matutina VII. secundae classis civibus Evangelium a *d. Luca* graece conscriptum exponens, VIII. exercitium pridie Tertianis dictatum emendabit. Post meridiem hora II. iisdem Corn. Nep. dilucidaturus.

Die Veneris hora ante meridiem IX. cum tertiae classis auditoribus Corn. Nep. et quidem *cursorie*, repetitionis loco, leget. Post meridiem hora I. secundae, et quoties doctoris physices partes vicarias in se suscipit, etiam primae curiae alumnis, Ciceronis epistolas illustrans, II. in Cornelio cum Tertianis legendo perget.

Die Saturni, hora matutina VII. iisdem Grammaticam Graecam exponens, VIII. quae quavis die dominica coetui sacro explicari solet, graecam Evangelii pericopam enucleabit.

*Priuatim*, suis, i. e. tertiae curiae adscriptis, Die Lunae, hora ante meridiem IX. et post meridiem III. Ciceronis ad diuersos epistolas dilucidabit.

Die Martis, iterum hora IX. Historiam atque Geographiam docens, post meridiem III. argumentum stili latini proponet.

Die Mercurii, hora ante meridiem X. Phaedri fabulas explicat, post meridiem I. graecae linguae fundamenta traditurus.

Die Iouis, hora IX. ante meridiem Corn. Nepotem; post meridiem III. Curtium exponet.

Die Veneris, hora ante merid. X. Cornelium repetet; post meridiem III. Evangelium a *diu. Iohanne* graece scriptum praelecturus.

Die Saturni, hora IX. Profodia latina tradita, hora post meridiem I. *Freyeri* fasciculum graecum explicabit.

LEÇONS,



LEÇONS, QUI REGARDENT LES LANGUES FRAN-  
ÇOISE ET ITALIENNE,

Le Maître de ces leçons continue à traiter dans les heures publiques d'avant-midi à VII heures, avec les écoliers de la première classe le livre, intitulé, *le dégoût du monde par maximes et réflexions morales et politiques etc.* Il y en a fait des analyses, propres à leur génie, comme aussi des imitations propres à les emmener à la facilité de s'exprimer selon les règles de la langue françoise, qui y ont été traitées.

Dans les heures publiques d'après-midi à II heures il traite le livre, intitulé *Démonstration de l'existence de Dieu, tirée de la connaissance de la nature*, par FENELON. Il y en a fait la même chose, qu'il vient de marquer du livre qu'il traite dans les heures d'avant-midi. Il s'y est éforcé, de faire sentir aux écoliers les veues et le véritable sens de l'auteur, en leur facilitant la peine, que l'on a, de s'aquerir les justes idées, auxquelles nous fait parvenir un livre, rempli d'autant de termes différens, que celui-ci.

Quant à ses leçons italiennes, et autres leçons particulières, il n'a pas manqué de les traiter ce semestre, avec l'aide de Dieu, avec la même assiduité et diligence, que ci-devant.

\* \* \* \* \*

Artis gladios tractandi, corpusque, musicos ad numeros, mouendi magister, exercitationes publicas, hora quarta pomeridiana, diei secundi, tertii, quinti, sexti singularum hebdomadam, instituit; qui vero putare docet rationes, hora tertia pomeridiana, quarti septimique; simul, alio tempore, pingendi litteras artem, inferioribus tradens.

Habent ergo commilitones occasionem, variis modis, exercendi studia litterarum; sed habent non minus, egregios mores addiscendi. Neglexit autem vtramque, piger, contumax et ingratus, ANDREAS PRELL, *Vonsideliensis*, anno proximo, nos deserens, et alium simul corrumpens; quod quidem, in tales excipientium, et nostrorum aequae monitionem, iuuabit obseruasse.

\* \* \*